

Q241

U
1
u

בְּשֵׁם אֱלֹהִים

DISPUTATIO ETHICA

De

OFFICIO HO-
MINIS

CIRCA

NOTITIAM FUTURORUM
CONTINGENTIUM,

Quam

Annuate Summo rectæ notitiæ Autore: Per-
missu Inclyti Senatus Philosophici in Almâ Philurea

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi atq; Excellentissimi

DN. M. JACOBI THOMASII,

Orat. P. P. Celeberrimi, Facultat. Philos. Ad-
fessoris longè meritisimi, Collegii Min. Princ. Collegiati
& h. t. Præpositi gravissimi, Patroni, Promotoris, atq; Præ-
ceptoris omni filiali observantiæ, ac honoris cultu, &
obsequio ætatem prosequendi,

Placidæ Eruditorum disquisitioni submittit


NICOLAUS JOHANNES Elffring / Ritzbüttelio-
Hamburgensis-Saxo, Bonar. art. & Phil. Cultor.


A. d. 16. Jan. A. O. R. cId Idc LXIV.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Literis Viduæ HENNINGI COTERI.





IN NOMINE JESU!

ANum sumus ingressi nuper, quo non ali us æqvè nostrâ memoriâ & metum in^cusit nobis exitûs futuri, & ex metu de^siderium accendit præsciendi, quo e-vasurus sit vⁱmis heu profundè jam receptus intra viscera Pannoniæ truculentissimus hostis Turca. Huic desiderio dum multi habenas justo laxiores indulgent, inq; Astromantarum prædictiones avidissimè involant: placuit nobis morbosæ cupiditati medicinam circumspicere potius, (quod Deus prosperet!) ex morali doctrinâ, quàm ex vanis artibus suggerere nutrimenta. Inquiremus in *officium hominis circa notitiam futurorum contingentium*. Juvabit autem ab ipsis principiis ordiri.

§. 1. Omnes homines naturâ scire desiderant ^{a)}.

^{a)} I. Metaph. 1. Cic. II. de fin. p. 74. *Natura cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi.* Idem copiosissimè hoc argumentum exequitur V. de fin. p. 136. seqq. Plin. V. Epist. 8. *Sunt homines naturâ curiosi, & quamlibet nudâ rerum cognitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam, fabellisq; ducantur.*

§. 2. Hunc τῆς φιλομαθείας ^{b)} affectum viti-ant in excessu ^{c)} curiositas ^{d)}, in defectu discendi negligentia seu ignavia.

A 2

^{b)} Sic

b) Sic appellat Aristoteles III. Nicom. 10. Synonymum suppe-
ditat Plutarchus Φιλοπευσίαν. In libello n. de curiositate π-
λυπραγμοσύνην definit modò Φιλεμάθειαν ἀλλοτρίων κακῶν,
modò φιλοπευσίαν τῶν ἐν ἀποκρίσει καὶ λανθανόντων fol. m.
306. 308.

c) Si Walæo credimus p. 126 comp. Eth Aristot. ex sententiâ A-
ristotelis nemo re honestâ nimium delectari potest. Non ergò
dabitur secundum eum excessus τῆς Φιλομαθείας. Verum
malè interpretatus est verba Philosophi. Ait ille loco Ni-
com. jam citato, circa voluptates animi, & quæcunq; non
sunt corporeæ, (ad quas disertè & Φιλομαθείαν retulerat) nec
temperantem dici quæquam, nec intemperantem. Hoc vult, esse
quidem in his, ut mediocritati, sic excessui locum: sed aliis
nominibus, si verborum studeas proprietati, opus fore, quàm
Temperantiæ, Intemperantiæve. Ideò mox addit, qui fabel-
larum cupiditate, studioq; rerum narrandarum ducantur,
eos non vocari intemperantes (ἀκολάστους) sed garrulos (ἀδο-
λέγητους.)

d) Vox curiosi & curiositatis est τῶν μέτρων. Ethoc sensu capi vi-
detur apud Plinium loco, quem lit. a. descripsimus. Inter-
dem in bonam accipitur partem: Vide Buchneri & μακαρί-
της Fabrum f. 283. Sed frequentius in malam: Muret. in Ca-
tull. p. 30. Elmenh. Ind. in Apul. Et ita Scholæ, cum hoc no-
mine vitium proscribunt circa inordinatum cognitionis appeti-
tum, Summ. Sylvestr. tit. curiositas fol. 106. Itaq; & Gvillielmo
Parisi. definitore Curiositas est libido sciendi non necessaria, tract.
de legib. Tom. I. op. f. 35. Et pro illo Cic. pro Domo p. 219.
quid est tam curiosum quàm ea scire velle, de quibus majores no-
stri vos solos (Pontifices) & consuli & scire voluerunt? non ma-
lam quidem finitionem Nizolius f. 897. attulit: curiosum est,
ea scire velle, quæ ad nos non pertinent: sed quæ tamen ἀντὶ τοῦ
ἐξὲν apud Tullium non habetur. Speciali sensu curiosos Plau-
tus definit Stich. A. 1. sc. 3. alienas res qui curant studio maximo.
Hæc nimirum illa vitii species est, quam toto libello π-
λυπραγμοσύνης exagitat gravissimus scriptor Plutarchus. De-
finitiones ejus jam ex eo protulimus lit. b. Ac vide porrò in-
signem

signem harmoniam. Plauto d. I. *curiosus nemo est, quin sit malevolus*. Geminum in modum Plutarcho fol. 306. morbus ille est ὅτε φθόνος δεκῶσαι κατὰρεσθ' εἰν νόσος, ὅτε κακονθείας. Imò f. 308. etiam hoc addit: ὁ πολυπεσάγγμων ἴσθαι χαίρεκακίας συνέχεται πάθει, φθόνος καὶ βασκανίας ἀδελφῶ. Secundum hæc optimè interpretabimur, quid Catullo Epigr. 7. & Petronio p. 72. edit. Gonsal. sint *Curiosi*. Nam causa non est, cur *Zelotypos* intelligamus cum Gonsalio p. 375. Atq; ut curiosum interventorem ejusmodi deprecatur in malo facinore Circe Petroniana: sic contrà dari sibi talem in relatâ optat Terentianus Chærea Evn. A. 3. sc. 5. *Neminemne curiosum intervenire nunc mihi?* Ex hoc hominum genere negat se esse Apulejus I. Miles. p. 2. *Impartite sermone, non quidem curiosum, sed qui velim scire vel cuncta, vel certè plurima*. Opponere vult τὸν πολυπεσάγγμωνα τῷ φιλομαθεῖ. Quem sensum eliciunt Beroaldus & Gonsalius, etiam cum legunt distracto vocabulo: *Non quidem curio sum*. Ergò non audiendus Alciatus Annot. in lib. XII, Cod. Tom. III. op. f. 602. qui sic putat pugnantia loqui Apulejum: *Quid enim, inquit, aliud est esse curionem, quàm velle scire cuncta vel plurima?* Mavult autem curiosum interpretari *delatorem*: quâ tamen glossâ non indigebat Apulejus.

§. 3. Necesse est ergo in hoc genere dari medium quodq; laudabile seu virtutem e).

e) Argumentandi genus familiare Philosopho in moralibus. Sic III. Eud. 2. in materiâ Temperantiæ: ἐπεὶ δ' εἰν ὑπερβολὴ καὶ ἑλλείψις περὶ αὐτὰ, δῆλον ὅτι καὶ μεσότης. De cætero μέτερον καὶ τῆς τῶν μαθημάτων ὁρέξεως agnoscit & Proclus εἰς τὴν πολιτείαν p. m. 493.

§. 4. Et hanc unam esse, non duas pluresve, contrà Rodericum de Arriaga f) statuimus.

f) Tom. V. Curs. Theol. Disp. LVI. sect. 1. f. 732. ubi soli *Negligentia* Studiositatem mederi vult; *Curiositati* verò omnes virtutes, quibus per nimium studium nocetur, putà jam Amorem sui circâ sanitatem, jam Civilitatem, jam Humilitatem, &c.

liberalior in augendo virtutum numero, quam Laur. Valla. Nam hic singulas tantum virtutes singulis vitiis adversa fronte consistere disputat lib. III. de Volupt. c. 2. f. 966. Agnoscit autem Arriaga, quæ hinc differit, ea valere de omnibus virtutibus consistentibus in medio, h. e. quæ vulgò singulæ binis vitiis opponi solent, similiterq; philosophatur circa Fortitudinem Disp. LI. Sect. 2. Subsect. 3. f. 669. 670. Unde non est, cur hic, in argumento videlicet speciali, adversus eam pugnemus ex professo.

§. 5. Licet autem eam omiserit Aristoteles g), dignam tamen consideratione habemus cum Scholasticis h), & elegantissimo scriptore Sebastiano Foxio. i)

g) Omittendi causa illi præcipua fortasse, quòd putavit υπερβολὴν ejus non esse gravissimæ reprehensionis obnoxiam. Περὶ τῆς ὀψείας, inquit III. Eud. 2. ἢ ὁσφρήσεως ὀμῆας (sic & Casauboni & Bebelii habet editio: sed omninò legendum ἰσο- ναῖς, aut quid tale) ὅθις λέγεται ἀκίλας, εἰάν ὑπερβάλλῃ. ἀλλ' ἀνδρὶ ἐνείδους τὰς ἀμαρτίας ψέγομεν πάντας, καὶ ὅλως ὡς ὅσα μὴ λέγονται ἐγκρατεῖς. Est autem in his haud dubiè & cupiditas sciendi per ea, quæ ex Philosopho dedimus supra lit. b. & c. Similia inculcantur VII. Nic. 4. Lege locos integros p. 281. ἢ μὲν γὰρ ἀκρασία, usq; τέτων δ' εἰς. & p. 283. μοχθηρία μὲν δ' usq; ψεκτῶν ἐπ. Confer Buridan lib. III. Eth. q. 27. in resp. ad, 1. f. 65:

h) Vincent. Bellov. spec. Moral. lib. I. distinct. 37. f. 290. Thom. 2. 2æ q. 161. & 166. Greg. de Valent. Tom. III. Comm. Theol. Disp. III. q. 1. punct. 2. f. 2089. 2092. Arriag. quem citavimus jam §. 3. Conimbr. Disp. IX. Eth. q. 3. art. 2. p. 96. (& obiter in Dialect. q. 1. proæm. art. 5. p. 45.) Jo. Petr. Poulalion. Comp. Philos. p. 143. Franc. Pavon. summ. Eth. Disp. 3. q. 4. prop. 5. p. 512. & 520. Claud. Frassen Scotista part. IV. Philos. Acad. p. 156. 157. Omiserunt tamen hanc virtutem Javellus & Eustachius à S. Paulo. Locus illi erat sub ambitu Temperantiæ cardinalis: nam hujus partem potentialem faciunt eam omnes, quos allegavimus, excepto Vincentio.

i) comp.

j) Comp. Eth. lib. III. c. 27. p. 274. 277. edit. Joh. Magiri: qui
Foxii scriptum illud A. 1608. Zach. Palthenio typis iterandum
misit, titulumq; indidit: *De moribus, & inculpatâ vitâ*. Post
Foxium tetigit hanc virtutem Petrus quoq; Gassendus II. Eth.
4. Tom. II. oper. f. 781.

§. 6. A quibus apto satis vocabulo appellatur
Studiositas. Est enim *studium* definiente Cicerone
k) *animi assidua & vehemens ad aliquam rem ap-
plicata magnâ cum voluntate occupatio*.

k) I. de Inv. p. 50: Utuntur hac definitione totidem pænè verbis
repetitâ Vincent. & Thom. d. 1. Petr. Bles. Epist. 81. & Jo. Saresb.
VII. Policr. 13. p. 392. qui solus Ciceronis mentionem hîc
facit.

§. 7. Valdè similis illi, non tamen eadem, est
virtus, quam Philippus Melanchthon l) & seqvaces m)
sedulitatem n) dixerunt.

l) Parte II. Oper. f. 885. & III. fol. 135.

m) Strigel. in Epit. Philos. mor. Philipp. p. 12. Dav. Chytr. Reg. vit.
p. m. 239. Keckerm. II. Eth. 4. Tom. II. Syst. Syst. p. 834. Timpl.
II. Eth. 9. p. 212. Alsted. Tom. III. Encycl. f. 58. Gutberl. Eth. c.
12. p. 32.

n) Dicitur etiam *solertia*, & *industria*, atq; *assiduitas*, Keck. item *gra-
vitas*, *diligentia*, Alst. conf. Timpl. Solo *diligentia* nomine hîc
utitur Andr. Ried Eth. nov. p. 2. & 180. Martin. Nigrinus *La-
borem* vocat, de quo postea lit. t.

§. 8. Valdè inquam similis, quia huic *Curiosi-
tatem* o), atq; *Negligentiam* p), ipsa videlicet *Studio-
sitatis* q) extrema r), opponunt.

o) Ita Timpl. Alsted. f. 60. & Gutberl. p. 33. vocant, quod Philippo
Strigelio & Chytræo est *πλὴν πρᾶγμασύνη* (confer quæ lit. d.
differuimus,) Keckermanno *περὶ πρᾶγμα*, seu *nimia diligentia* &
satagentia, quâ voce & Alstedius ipse f. 58. utitur.

p) Ita Gutberl. p. 34. Reliqui *Ignaviam* nominant, quod perinde
est. Timplerus etiam *incuriam*. q) Vide

q) Vide Thom. 2. 2æ. q. 166. artic. 2. obj. 3. & Seb. Fox. p. 279. qui tamen, quod observes, defectum non vocant *Negligentiam* simpliciter, sed cum appposito *Negligentiam* studendi, vel in *studis*.

r) Non est hoc novum in scholâ Melanchthonianâ, cognatis virtutibus eadem dare extrema. Strigelius p. 12. in Epit. Phil. of. mor. Philip. *Hæ duæ virtutes, quarum una vocatur Sedulitas, altera Φιλησυχία, sunt cognatæ virtutes, & versantur inter eadem extrema, quorum alterum est ignavia, alterum πολυπραγμοσύνη.* Idem ad libr. I. Sam. c. 12. f. 38. *Hinc judicari potest, cognatas virtutes esse humilitatem, & gloriæ appetitionem, (sicut cognatæ sunt parsimonia, & liberalitas,) & utramq; inter hæc extrema versari, inter ignaviam & superbiam, &c.* Quæ verba, (ut fuit in eâ Scholâ sensuum pariter & verborum maxima communicatio,) cum præcedentibus non paucis eadem planè leguntur apud Crucig. Enarr. in c. 6. Joh. (Part. III. op. Philippi f. 679.) Scire jam ex his licet, cur Philippus ipse III. op. f. 340. *Sedulitatis* extrema, quod alibi non solet, *Prodigalitem & Avaritiam* fecerit. Nimirum *Sedulitas* certo respectu *Liberalitati* etiam vicina est, quatenus labore nobis non modò scientiæ constant, quarum desideria *Studiositas* moderatur, verum & opes, quarum *Liberalitas*. Sed accuratè philosophantibus approbare se vix poterit isthæc, siue duas virtutes per eadem extrema commiscendi, siue unam virtutem habitualement in duas discerpenti ratio.

§. 9. Non eadem: *primò*, quia definiunt eam Moderatricem, non cupiditatis sciendi, ut *Studiositatem* suam Scholastici s), sed laboris t), vel affectûs potius ejus, quo naturaliter homo laborem averfatur. u)

f) Conimbricenses: *Studiositas est virtus, quæ sciendi cupiditatem temperat.* Similiter definiunt Greg. de Valentia, Pavonius, & Cl. Frassen. *Sed labor addiscendi respicitur ab hac virtute per accidens, quasi removendo prohibens, verba sunt Thomæ in fine q. 166. ubi de sedulitate loquitur.*

t) Timpl. & Gutberl. rotundè: *Sedulitas est virtus moralis, laboris*

ris moderatrix. Pluribus verbis Philippus: *Sedulitas est virtus, quâ constanter & firmiter volumus propter Deum & communem salutem labores facere vocationi convenientes, juvante Deo, qui petentibus auxilium promisit.* Paria ferè sunt apud Strig. Chytr. & Keck. Hinc Martinus Nigrinus virtutem ipsam, valdè licet αὐρως, *Laborem* nominat II. Eth. 9. p. 97. rectius vocaturus *Laboriositatem*, vid. lit. W.

u) Rectè Keckerm. & Gutberl. fatentur objectum Sedulitatis esse minus gratum. Nam, ut ait Terent. And. A. I. sc. I. *Ingenium est omnium hominum à labore proclive ad libidinem.* Et Thomas I. d. Ex parte naturæ corporalis, inquit, homo inclinatur ad hoc, ut laborem inquirendi scientiam vitet. Minus ergò Philosophicè Alstedius laboris desiderium hîc nominat nobis pro objecto, sed utilitatemq; medio loco, velut congenerem virtutem, ponit inter moderatrices aliorum desideriorum, Modestiam ac Sufficienciam (αὐτάρκειαν) quod cum Keck. & Gutberl. contra factum oportuit. Labor enim quâ talis, fugæ materia est, non desiderii. Sed Alstedium fortassè decepit τῆς φιλοπενίας vocabulum: inventum tamen significando non affectui naturali, sed habitui virtutis acquisito, de quo mox lit. w. x. Nam alias laborem in rerum fugiendarum numero habere se Græci satis innuunt in eo, quod vocem ἔπινος etiam ad dolorem transferunt: non equidem inopiâ linguæ, ut μισέλλην exprobrat Cicero II. Tusc. p. 182: rectè reprehensus ad eum locum à Camerario p. 13. 14. (habent enim λύπην, ἄλγος, ὀδύνην &c.) sed eodem consilio, quo Cicero ipse non rarò laborare dicit eos, quos conflictari cum morbo, ægitudine, aut molestiâ vult declarare.

§. 10. Itaq; secundo Sedulitas est Græcorum φιλοπενία w), sed Studiositas φιλομαθία x).

w) Fatentur id expressè Timpl. Keck. Alst. Gutberl. *Laboriositatem* reddas latinè. Nam sic Ciceroni φιλόπενος est laboriosus, ipso, quem modò excusimus, & à quo iudicium huc etiam quoad antenus transferri volumus, loco: *Industrios homines,* inquit, *illi studiosos, vel potius amantes doloris appellant, nos commodiùs laboriosos.*

B

x) Sed.

x) Seb. Fox. Comp. Eth. p. 273. 274. Hæc vox suprà §. 2. valebat etiam in appetitum sciendi naturalem. Id non æqvè procedit in vocabulo τῆς φιλοπονίας: μισόπονοι enim sumus naturā, non φιλόπονοι.

§. 11. Et *tertiò* illa Fortitudini γ), hæc Temperantiæ ζ) cardinali affinis. Labor enim, ut sic, in molestis est homini, scientia in jucundis.

γ) Intellexerunt hoc Keck & Gutb. quorum ille de Sedulitate & Fortitudine eodem agit capite; hic duobus immediate coherentibus. Conf. Thom. in resp. ad. 3. & Arriag. ubi suprà §. 4.

ζ) Hoc pluribus confirmabunt §. 13. & 14.

§. 12. *Deniq;* cum nec omni a), nec sola b) cognitio labore paretur: Sedulitas partim angustior sit necesse est, partim latior c) Studiositate.

a) Quædam enim discuntur absq; labore, perinde ut fabulæ a pueris.

b) Ut labores animi ad scientiam: ita corporis (puta rusticorum, opificum &c.) ad alia comparanda bona per se tendunt. τῶν πόνων πωλῶσιν ἡμῖν πάντα τὰ χαθ' οἱ θεοί, aiebat Epicharmus.

c) Hinc defectus sedulitatis negligentia simpliciter, studiositatis autem negligentia cum appposito, suprà lit. q.

§. 13. Quod de Temperantiâ cardinali dicebamus modò, commune dogma est Scholasticorum, quando Studiositatem partibus *Temperantiæ* potentialibus accensent d).

d) Suprà lit. h. Eadem sententia Foxii est, & Gassendi.

§. 14. Et nititur non modò autoritate Augustini e), sed etiam ratione pulcherrimâ. Tàm enim, ut homines, appetimus scientiam, quàm ut animalia voluptates corporis f), quæ propria sunt Temperantiæ materia.

e) Ad quem apertè provocant Thomas, & Greg. de Val. Verba S. Patris leguntur c. 21. de morib. Eccl. Tom. I. oper. f. 761.

Quam-

Quamobrem rectè etiam curiosi esse prohibemur, quod magnum
 Temperantiæ munus est. Agit autem ibi ex professo de Tem-
 perantiâ Cardinali. An huc etiam illud Pauli accommodabi-
 mus? Rom. 12. v. 3. Μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δὲ φρονεῖν, ἀλλὰ
 φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Augustino addimus Plutarchum,
 qvī οὐδὲ πολυπεί. f. 310 oppositam curiositati virtutem disertè
 vocat ἐγκρίσιον Et f. præc. ἀρεταίας γδ, inquit, τὸ πολυπραγ-
 μονεῖν, ὡς καὶ τὸ μοιχεύειν. Retulerat paulò ante legem,
 Charondæ, (hic enim est ὁ τῶν ἑσπέρων νομοθέτης,) ne quis ci-
 vium in comœdiâ traduceretur præter adulteros & curiosos. Ac
 possumus utriusq; vitii elegantes ὑπογραφαὶ συνεπιγυμένας
 ad Plutarchi ductum exstruere, ut *Adulterium* sit curiositas
 alienæ voluptatis; *Curiositas* adulterium alieni secreti.

f) Thomas q. 166. Sicut naturaliter homo concupiscit delectationes ci-
 borum & venereorum secundum naturam corporalem: ita se-
 cundum animam naturaliter desiderat cognoscere aliquid. Enim-
 verò ut inanis stomachus cibum, ut fœmina marem, ut ma-
 teria formam, ceu perfectionem suam appetit: sic anima
 nostra (qvæ est locus idearum, & similis tabulæ nudæ III. de
 an. 4.) scientiam, vel sapientiam potius, appetit, appetere cer-
 tè debet. Sapientiam, inquam, qvæ est notitia Dei. Nam
 Animal quidem, qvâ tale, Voluptatē corporis pro summo
 bono suo sectatur: Sed Homini, qvâ tali, Beatitudo sua pro-
 ponitur in operatione juxta virtutem optimam. Hæc verò
 est Sapientia X. Nico 7. cui & scientias omnes, perindè ut Ar-
 tes Prudentiæ famulari fas est. Rectissime Thomas q. 167.
 perversitatibus annumerat quando homo appetit cognoscere veri-
 tatem circa creaturam, non referendo ad debitum finem, scil. ad
 cognitionem Dei.

§: 15. Qvòd ergò Vincentius Bellovacensis g)
 Studiositatem ad *Prudentiam* trahit, qvafi partem ejus
 integram, non assentimur magis, qvàm qvòd Seduli-
 tas Chytræo h) speciem constituit *Iustitiæ* distributi-
 vae. g) Ubi suprâ lit. h. Contrâ hunc distingve. 1. cognitionem ab ap-
 petitu cognoscendi: 2. cognitionem in specie practicam
 ab ingenere qvacunq;. B 2 h) Ubi

b) Ubi supra lit. m. Non multum abit Strigelius, cui loco ibid. citato *Sedulitas est virtus quarti precepti, & est cognata iustitie distributivæ.* Andreas quoq; Ried. p. 2. Ethicæ novæ Dili- gentiam sub Iustitiâ complectitur. Hausta hæc credas ex illo Platonis IV. de Rep. f. 640. B. ὅτι αὐτὸ πρᾶττεν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, δικαιοσύνη ἐστίν. Verum loquitur ibi de iu- stitiâ non singulorum hominum, sed civitatis universæ. In- super alia sedulitatis ratio est, quatenus hominem secum i- pso, alia quatenus cum aliis eum hominibus componit.

§. 16. Hæc præstruere debuimus, ut intellige- retur, *officium hominis circa notitiam futurorum, contingentium* i) ad quam pertineret virtutem mora- lem. Est enim pars haud postrema Studiositatis k) complicatæ à Scholis cum Temperantiâ Cardinali.

i) *Futurum contingens* Græci uno vocabulo μέλλον vocant: per- indè ut *futurum necessarium* iisdem est ἐσόμενον. Distinctionem hanc (cui tamen ap. Conimbr. in c. 8. de interp. p. m. 189. 190. alia interpretatio assuitur) disertè habes lib. II. de ort. & inter. c. ult. & lib. de divin. ex insomn. c. 2. Vid. & Camerar. ad Ni- comach. p. 133. 134. Goclen & Micræl Lex. Philos. voce Con- tingens. Jac. Martin. Partit. Metaph. p. 448. Latinos par ver- borum brevitatis hic deserit. Reddunt quidem translatores πρὸ ἐσσεῖν, καὶ μέλλειν per *fore & futurum esse*: Verum rectè observat Petr. Joann. Nunnescius orat. de caus. obscur. Arist. p. 15. Latine nullam esse inter has voces dissimilitudinem, Græcè verò maximam: & p. 21. jure culpat Perionium, qui cap. 9. de interp. μέλλειν verterat *futuris*, cum significet ea vox tantum *futura fortuita*. Annotavit tamèn B. Höpfnerus in πρὸ ἐσσεῖν p. 582. ista duo Græca vocabula non rarò pro- miscuè usurpari.

k) Objectum studiositatis est appetitus cognoscendi in genere. Verorum, quæ cognoscuntur, alia necessaria, alia contingentia, Contingentium quædam præterita, quædam futura. Ut ergò futura contingentia sub latitudine cognoscibilium: sic virtus appetitum eorum temperans, sub studiositatis ambitu conti- nebitur

nebitur. Quare & Thomas eos, qui aliqua futura (contingentia intelligit) à demonibus perquirunt, contra Studiositatem peccare arguit, eosq; postulat Curiositatis q. 167. Adde summ. Sylv. tit. Curios. & quæ mox dabimus lit. n.

§. 17. *Futurorum contingentium* nomine designamus hic ea, quæ futura sunt contingenter non in rebus *naturalibus*, (ut in tempestatibus aëris:) sed *humanis* l), h. e. actionibus hominum, earumq; insuper in hac vitâ eventibus m), (ut in bello Turcico futuræ æstatis.) Hujus enim generis futura maximè salivam movent hominibus curiosis n).

l) Contingentia, quæ est in rebus *naturalibus*, valdè differt ab eâ quæ in *humanis*. Itaq; Avicenna & Occam negare potuerunt priorem posteriore salvâ ap. Perer. IX. Phys. II. p. 533. Qui cap. 13. p. 538. 539. rectè respondet Occamo per distinctionem vocabuli, & c. seq. p. 540. 541. inter contingens *naturale* & *voluntarium* (his enim terminis, quos & apud Toletum ad Perierm. p. 132. reperies, ibi utitur,) quatuor constituit differentias.

m) *Eventuum* nomine passiones hominum comprehendo, sive prosperas, sive improsperas, quas secundæ, adversæq; fortunæ vocabulis solemus distingvere. Cæterum in hoc negotio ipsa *actuum* humanorum contingentia secernenda est à contingentia *eventuum*, cum illa tantum, non etiam hæc, humanæ potestati sit subjecta.

n) *Humane mentes sunt avidæ cognitionis futurorum quadam perversâ curiositate*, Phil. Melanchth. Tom. II. oper. f. 445. Similia leguntur Tom. III. f. 5. *Pervasit in miseram, atq; ira Dei & tristissimis poenis subjectam naturam hominum, ut metus perpetuus maiorum voce divinâ denunciatorum, atq; ingens horribilium dubitationum & fluctuationum chaos: sic immensum desiderium seu prospiciendi ac prænoscendi, seu exquirendi quovis modo aut impendunt mala, aut futuros eventus secundos, & nimia ad superstitionem inclinatio ac propensio.--- Quapropter gestiunt omnes finem videre vel sper suæ, vel metus.* Indè divinationes & arulationes

ditiones tantoperè ubiq³ locorum & gentium invaluerunt, Peucer.
de divin. p. 2. 3. Tanta namq³ libido sciendi futura & alia occul-
ta, corda (sic legendum videtur pro: cordium occulta,) quo-
rundam hominum inflammavit, ut huius (horum) scientiam e-
xecrabili animarum suarum commercio à demonibus mercaren-
tur, Gvill. Paris. Vol. I. oper. f. 35.

§. 18. Horum, anteqvàm fiant, veritatem *salvâ*
ipsis nihilominus suâ *contingentiâ* o), in oculis Dei p)
determinatissimam, quicquid differat Aristoteles q)
& maximè infallibilem esse, dubitari non potest, nisi
vel *fatum* Stoicorum, vel Epicuri *fortunam* approba-
re quis velit.

o) Præscientiâ Dei non inferri rebus necessitatem, aut tolli con-
tingentiam, Scheibl. Topic. c. 3. n. 56. p. m. 226.

p) Deum habere determinatam scientiam futurorum contin-
gentium, Biel lib. I. distinct. 38. q. unic. Slevogt. Disp. III. pract.
§. 26. seqq. p. 616. Scheibl. lib. II. Metaph. c. 3. n. 440. seqq. &
c. 4. n. 158. ubi signatè *solius Dei proprium esse*, inquit (1.) cu-
juscunq³ generis futura, (2.) *notitiâ infallibili & certâ*, (3.) *ex*
propriâ suâ perspicacitate, (4.) *tum quoad actûs proprios, tum*
quoad actûs alienos præscire, Phavorinus quoq; Philosophus
apud Gellium XIV. Noct. Att. I. tolli ait, *quod maximum inter*
Deos atq; homines differt, si homines quoq; res omnes post futuras
prænoscerent.

q) *Futarorum contingentium non esse determinatam veritatem* Ari-
stotelis placitum notissimum est ex cap. 9 (al. 8. al. 6.) de In-
terp. Qui in argumento cùm ita versetur, ut, stante determi-
natione veri simpliciter ruere credat contingentiam futuro-
rum: vix est, ut hic absolvi queat ab errore negatæ præsci-
entiæ divinæ, quem hic illi Ramus objicit lib. V. Schol. Dial.
f. 444. quanqvàm varii varia quæsiwerunt emplastra, quæ vi-
deri possunt apud Conimbric. in cap. 8. de Interp. q. unic. art.
3. p. 187. seq. Omnino enim cum his d. l. p. 191. & artic. 4. p. 192.
Hornejo III. Inst. Log. q. 31. & Slevogt. Disp. Pract. III. §. 14.
p. 609.

p. 609. (qvi ramen §. 10. dubitanter loquitur, & alibi in favo-
rem Philosophi decernit Disp. Theor. XVII. §. 20. p. 385.) ab-
sentiendum hîc Aristoteli, fatendumq; hac in re lapsum eum
fuisse. Et exstant lapsûs hujus vestigia non obscura in Phy-
sics quoq; & alibi passim, quoties de *Fortunâ*, vel casu philo-
sophandum ipsi fuit. Neq; contemnendum præjudicium
veteris Ecclesiæ, quæ magno consensu exprobravit ipsi subla-
ram è sublunaribus Providentiam. Athenagoras Apol. pro Chri-
stianis fol. 26. τὸ πρὸς τὸν Ἀριστοτέλην ἀποδοῦναι εἰπεῖν τὰ κατω-
τέρω ἔστιν ἔργον ἐπινοῦν. Consentit Chalcidius citatus a Pom-
ponatio de fat. p. 534. & 607. Ambros. l. off. 13. Testibus Ferra-
riens. p. 73. monit. philos. decem Patres recenset Possevinus,
qvi Aristotelem hujus criminis accusaverint. A quo illum
qvi hodiè defendunt, nihil aliud agere censendi sunt, quàm
tenebras, Historiæ Philosophicæ à Scholasticis illatas, de indu-
striâ continuare.

r) Quo pacto contingentia rerum cum certitudine divinæ præ-
sensionis consisteret, cum pervidere non possent gentiles,
(Materiam quippe Deo sociantibus inexplicabilis illa veritas
est,) in duos maximè contrarios & extremos errores, (quo-
rum in medio veritas Christiana consistit observante Toletio
in Log. Arist. p. 133.) dissilierunt. Stoici enim, ut Providentiâ
servarent, jacturam fecerunt contingentia; Epicurei contrâ,
ut contingentiam relinquerent, Providentiâ. His dogmati-
bus signandis *Fati Fortunæq;* nomina sunt inventa: exosa
olim hanc ob causam Christianis, vid. Aug. V. de Civ. D. I & I.
Retract. I. alibiq; passim. Etenim ut *Fatum* Libertati divinæ
sic *Fortuna* Præscientiæ strictebat insidias. Hinc Cicero II. de
Divin. p. 112. *Nihil tam contrarium rationi & constantiæ, quàm
Fortuna, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat,
quod casu, & fortuito futurum sit.* Quem refellens Augusti-
nus (frustrâ enim Pererius IX. Phys. p. 511. in bonam partem
ejus verba trahere præsumit,) V. de Civ. D. 9. multò pronun-
ciat tolerabiliores, qvi vel fiderea Fata constituunt, quàm
ipsum, qvi tollat præscientiam futurorum. Nam & confiter,

esse

esse Deum, & negare præscium futurorum, apertiſſima, in-
quit, infania est. Noverint ergò infaniæ se prædamnatos à
S. Patre Photiniani, qui & ipsi negant à Deo cognosci futura
contingentia, referente Clariss. Bechmanno Disp. de fut. Con-
ting. §. 25.

§. 19. Humanus verò intellectus, (nam de an-
gelico s) nihil hic attinet quærere) in hoc negotio
considerari potest, *vel* ut naturæ viribus relictus t),
vel ut divinâ revelatione illustratus u), *vel* ut diabolicâ
magiâ impletus w). Scientiam veram contingen-
tium futurorum adipiscitur in solo momento *secundo*
x); non nisi opinionem verisimilem in *primo* y), & ter-
tio z).

s) Utrum Angeli cognoscant futura, disquirunt Thom. I. q. 57.
art. 3. Scheibl. II. Metaph. 4. n. 53. seqq.

t) Quæ hominem genuit animal providum, sagax, multiplex, a-
cutum, memor, plenum rationis & consilii, ut loquitur Cicero
I. de leg. p. 160.

u) Causas, quare calamitates Ecclesiæ & mundi prædictæ sint
divinitus, exponit Phil. Mel. III. op. f. 6. Sed in his prædicti-
onibus distinguere oportet partem futuri revelatam à non
revelatâ, putâ futuritatem certam ab articulo temporis, aliis-
ve circumstantiis adhuc occultis: revelationes item claras ab
obscurioribus.

w) Ad hanc refer omnes artes divinatrices veritas, sive ex-
pressum cum dæmone pactum contineant, sive implicitum:
etiam quæ per manûs quasi & ope literarum in hanc usque
ætatem propagatæ specie scientiæ viribus naturalibus acqui-
sitæ autorem diabolum dissimulant.

x) B Höpfn. in *Wel. epm.* p. 587. Ratio autem est, quia Deus nec
fallit, nec fallitur.

y) Quia

γ) Quia sic futura contingentia non potest intueri in ipsis, sed tantum in causis suis & earum dispositione, (vid. Scheibl. II. Met. 3. n. 441. p. 347.) Hæ verò quoad præsens, aut nondum sunt determinatæ, aut determinationem suam occultare possunt. Itaq; ~~omnes~~ tantum & ~~ei~~ obijciuntur nobis, à quibus ultra opinionem assurgere non potest.

z) Quamquam enim hac parte perspicacior est intellectus angelicus humano: tamen ne ipse quidem futura contingentia aliter, quam in ipsorum causis pervidere potest: vid. Thom. I. q. 57. art. 3. Accedit intentio fallendi in Diabolo, & conservandæ apud suos autoritatis: quorum altero fit, ut falsa, altero ut ambigua sæpè proferat.

§. 20. Jam officium hominis hîc, ut in aliis virtutibus *a)*, ex mediocritate metiendum est. Quam inprimis definient circumstantiæ *objecti, principij, formæ, & finis b)*.

a) II. Nicomach. 6.

b) tanquam causarum quatuor. Objecti enim nomine *materia*: Principii vocabulo designatur *efficiens*.

§. 21. Ratione *Objecti*, sua quisq; futura, non aliena, quæ talia *c)* scrutetur.

c) Limitatione opus fuit. Ex hominum enim inter se commerciis necesse est alienis bonis malisve tangi & nos aliquo modo. *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,* Horat. I. Epist. 18. v. 84. Et *aliquid mali propter vicinum malum*, Plaut. Merc. A. 4. sc. 4. v. 32. Imò de naturâ cujusq; societatis est, ut membrum membro, sive æquale sit illi, sive inæquale, suo quodq; modo prospiciat. Quatenus ergò attingunt nos aliena, sollicitudo eorum mandata nobis; secus, prohibita. Unde æstimabis &, quousq; privato liceat esse sollicitum de publico.

§. 22. Ratione *principij*, conjecturæ humanam sagacitatem non excedentes *d)* usurpandæ ab homine

C

mine

mine quovis; prædictiones divinæ e) tantum ab iis, qui dono interpretandi f) pollent; magicæ verò artes g) à nemine prorsus.

d) Tales sunt, quarum causæ possunt ab homine reddi ex lumine naturæ sive experientiam, sive rationem sequente eum in modum, quo Medicis pro morborum & eventuum cognitione natum est artis suæ μέτρον σπουδῆς. Cui adeò scitè comparavit Scipio Claromontius libros X. à se hoc titulo vulgatos: *de conjectandis cujusq; moribus & latitantibus animi affectibus σπουδῆς moralis, seu de signis.* Venetiis A. 1625. Voluit vir doctissimus in iis partem illam Philosophiæ, ut ipse in præfatione autumat, Moralis, uti nos, Civilis redigere in justum atq; integrum Artis, illam plenitudinem eousq; nondum adeptæ (vid. lib. I. c. I) Systema: laudabili utiq; proposito, & maxime Rationi Statûs, ut vocant, inserviente, quanquam ipse, qui Moralis Philosophiæ partem eam fecisset, fines illi minus angustos præscribere videtur in præfatione. Jam quid acturus sit quisq; conjici utcunq; per ejusmodi artem poterit. De eventu autem actionis prædicere majoris industriæ est, & causarum omnium, quæ undiquaq; intervenire possunt, sive naturales sint, sive morales; sive adjuvandi, sive impediendi facultate præditæ, accuratâ & notitiâ, & pensculatione indiget. Quod in publicis negotiis inanes sæpè reddit omnium conjecturas, uti v. gr. in Electionibus Pontificum Romanorum. Non enim veram hujus inanitatis causam affert assentator Pontificius Scipio Amiratus lib. III. in Tacit. Disc. I.

e) Cessant hodiè revelationes novæ, quæ quidem indubiam habeant *ἱεροπρόβια*. Itaq; prædictionum tantum, quæ olim videlicet Danieli Prophetæ, Johanni Evangelistæ &c. factæ, nec dum omni ex parte impletæ ad nos pervenerunt, mentio hîc fuit facienda.

f) Nam si hoc requiritur in explicandis clarissimis articulis fidei: quanto magis in his vaticiniis, ante impletionem vix lucem habituris. Quâ de re vid. Mengerling. Inform. conf. p. 1091.

Autor.

Autor. Anhangs der Spanischen Monarchi Campanellæ p. 49.
50. Et huc trahunt quidam dictum Exod. 33. 23. apud Phil. Mel.
Part. III. oper. f. 687.

g) Magicæ artes *curiosæ* vocantur, & Magi *curiosi*. Gonsal. ad Pe-
tron. p. 375. De divinationibus illicitis perquam accuratè &
piè, ut solet, agentem vide pl. Rev. Dn. Dannhaw. Colleg.
Decal. Disp. II. §. 35. seqq. Quarum in numero cum rectissi-
mè vel primo loco ponat Astromantiam: dolendum, sacri
codicis prophetias glosis ex arte planetariâ conspurcari, ut
ab Herlicio, Rösliño & aliis factum est. *Distingvenda tota res*
est, inquit Lipsius cap. 5. monit. Polit. q. ad mon. 5. p. 63. &
sic habe. Indicis aut notis, quas vir prudens ex lectione, ex usu &
observatione similium collegerit, aliquid suspicari aut præsumere
de fatis, id licet: sed caute, & timide. At ex artibus magorum,
ariolorum, divinorum, mathematicorum, & quod aliud tale genus,
id verò nefas est, nec divina aut humana lex permittit.

§. 23. Ratione formæ nec planè securi h)simus
futurorum, in quo defectus est: nec nimis curiosi i),
in quo excessus; sed probabili quorundam prævisio-
ne contenti, in iis, quæ salubri consilio k) abscondita
nobis Deus esse voluit, ignorantiam: quæ incerta, flu-
ctuationem, æquo animo feramus, firmâ interim re-
tentâ fide, quicquid ex voluntate Patris æterni evene-
rit nobis, salutis nostræ cessurum.

h) Si tollas omnem futurorum curam, manca erit prudentia:
Cujus partes Ciceroni II. de Juv. p. 82: *memoria* (præterito-
rum,) *intelligentia* (præsentium,) *providentia* (futurorum.) Mart.
Dumienf. de 4. virt. card. tit. de Prudentiâ: *Si prudens est a-*
nimus tuus, tribus temporibus dispensatur: præsentia ordina, fu-
tura prævide, præterita recordare.

i) *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, Sirac. 3.*
v. 22.

k) Ut in omnes casus parati semper simus: ut abductum ab his
fluxis & incertis animum in ipso solo figamus: ut ipsi spes
nostras & metus commendemus: ne ante tempus aut miser-

simus

simus, aut fructum gaudii defloremus. Tangit hanc ultimam causam Phavorinus apud Gellium lib. XIV. Noct. Att. extremo cap. i. Cicero II. de divin. p. 113. *Ego ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. Quæ enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentiâ scivisset, quos eventus senectutis esset habiturus?*

§. 24. Ratione finis non voluptas l) ultimo quærenda, sed conjuncta cum honestate utilitas m): ut nimirum hac futurorum casuum notitiâ stimulante serio cogitemus de mediis legitimis, quibus salutaria nobis, aliisve accersamus, noxia verò evitemus n).

l) Est quidem voluptas in omni cognitione, (suprà §. 1.) rerum etiam levium, atq; futilium; (Camerar. in I. Tusc. p. 227 Muret. XVI. Var. Lect. 18.) Verum non minus hîc, quàm in cibo, potuq; vitium est, voluptatem pro ultimo fine sectari. Igitur & Augustinus X Conf 35. carpit, cum in naturæ secretis nihil aliud, quàm scire homines cupiunt, & perversum hunc scientiæ finem vocat, curiositatemq; hujusmodi eloquio divino (1. Joh. 2, 16.) concupiscentiam oculorum appellari statuit.

m) Solius Dei cognitione ut fine ultimo fruendum: cæteris notitiis utendum ut mediis, theoreticis quidem ad finem theoreticum, practicis verò ad practicum, utrisq; ultimo ad cognoscendum & amandum Deum. Repete, quæ ad §. 14. lit. f. diximus.

n) Philippus Mel. II. Physic. p. 133: *Etsi mentes humanæ nec prævidere omnes eventus, nec mutare, etiamsi prævideant, possunt: tamen particulares eventus multi & prospici, & bonæ inclinationes juvari, & malæ reprimi possunt: ut sagax Medicus corpora præmunire potest contra certos morbos, qui ea invasuri essent, nisi arcerentur.* Conf. lit. d. ad §. 22.

Faxit Clementissimus in cælo pater, ut excusâ securitate per veram quisq; poenitentiam, & agendis sedulo cæteris officii sive publici, sive privati partibus, jamjam imminentem cervicibus nostris crudelissimi Tyranni gladium avertamus, deq; cætero non à superstitiosis

stitiosis veraculorum auguriis, sed ab ipso solo pende-
amus, qui nos in manibus descripsit. Tueatur ille
hoc anno & usq; ad consummationem seculi Ecclesio-
lam suam! tueatur Imperium Romanum! tueatur aras
nobis, & focos! ut ipsi Epinicion canamus, qui cum
Filio & Spiritu S. vivit & regnat gloriosus in altis-
simis Deus! Amen.

COROLLARIA.

I.

Marinus Baclerus scripsit, Mahumetum II Turcarum Imperato-
rem astrorum maximum observatorem fuisse. & omnia acta, a-
gendaq; ad eorum cursum instituisse: unde & illum fructum tulerit,
ut duo imperia, Constantinopolitanum & Trapezuntinum subegerit, re-
gnaq; 12. & urbes 200. rapuerit. Joh. Wolf. Tom II. memorab.
f. 77. Fueritne Mahumetus astrorum observator, possumus du-
bitare, qui lege Mahumeticâ vetitas haberi artes omnes divina-
torias, velut hæreticas, sciamus ex indicio Jo. Leonis Africani
lib. III. descr. Afr. c. 41. p. 229. Sed esto! Certè Marinus non-
causam attulit pro causâ. Nam infelicissimos esse potius so-
lere, qui his artibus studeant, Alexand. de Angelis lib. V. in A-
strologos c. 13. Lips. monit. Polit. p. m. 65. Cornel. Agripp. c. 31.
de vanit. scient. observant, variisq; confirmant exemplis.

II.

Quibus & ratio accedit. Tâmpiam enim curiositatem
in hac etiam vitâ crebris exemplis puniri Divinæ Justitiæ
interest. Plures rationes cumulat Marsilius Ficinus in Epistolâ
quâdam ad Bindacium Recasolanum, (quæ cum aliâ ejusdem
ad Eberardum Ducem Wirtemb. fœdè confusa legitur libr. XI.
Epist. p. 122.) sed in quibus sæpè judicium, alicubi & pietatem
desideres, non admodum multa probes. Verba hæc sunt:
Compertum habemus, omnes, qui prædicendis futuris curiosius inhi-
ant, omnium infortunatissimos esse vel fieri. Cujus quidem adver-
sitatis causas vel manifestas, vel occultas esse putamus. Manifestæ

C-3

pro-

perfecto causæ sunt, quod infinito ac prorsus incerto futurorum studio sua semper omnia negligere compelluntur, plerumque verò imminentis fati vel promissis confisi, vel minis deterriti, suam quidem sententiam necessariis, ipsi interea nihil agunt, toti videlicet ex fato pendentes. Occultas autem huius rei causas esse arbitror, quod Providentia divina, cui Natura, Fatum, Fortuna serviunt, non dat omnibus omnia, sed sua cuique iuste dispensat. Quibus ergo, & his quidem volentibus, futura concessit, meritò presentia negat. Cum enim presentia, si cum futuris compares, paucissima, minimaque sint, si rebus ejusmodi careas, dummodo futura, quæ plurima, maximaque sunt, quoquo modo possideas, conqueri apud Providentiam de tuâ sorte non debes. Fortè verò Fortuna, quæ videtur in hoc saltem opposita Fato, quod illud quidem ordinem rerum asserit necessarium, hæc verò ordinem ejusmodi renuit, nimirum futurorum auguratoribus tanquam fatidicis, assertoribusque Fati, infesta redditur & adversa. Forte etiam, qui ventura audacter anticipant, quæ celestis ille Pater in suâ posuit potestate, sibi que ipsis, quod Dei ipsius est, insolenter usurpant, his ergo Juppiter indignatus eos tanquam Gigantes illos, superbiam nimium elatos, effulminat. Missa equidem nunc, quæ mihi succurrunt, Astrologica facio: rerum videlicet reconditarum, longeque à presenti distantium, perscrutatores incidere protinus in Saturnum, abditissima quoque, remotissimaque tenentem, & quoniam presentia Fortune bona concessit Jovi, rebus tantum venturis secretissimisque contentum.

III.

DE hoc eodem Marsilio Ficino memorabilem, & quæ nec ab argumento nostro valde aliena sit, & gravissimis quaestionibus occasionem præbeat, historiam recitat Baronius Tom. V. Annal. ad ann. 411. n. 69. f. 371, unde repetunt Delr. lib. II. Disq. mag. p. 260. Franc. Alban. c. 20. Pabst. Anat. p. 282. & obiter Mart. Zeiller. Cent. I. der Gendschreib. Epist. 85. p. 520. in marg. Summa ejus hæc est. Collocuti aliquando inter se ex Platonis sententia Marsilius iste, & Michael Mercatus Miniatensis, Platonice uterque Philosophiæ sectator acerrimus, quidnam post obitum supersit homini, progressam longius disputationem hoc tandem clauserunt corollarium, ut jurati junctisque dexteris pacti fuerint, uter eorum ex hac vita prior decederet, alterum, si liceret, de alterius vitæ statu redde-

ret

ret certiore. Evenit post haud breve temporis spacium, ut cum summo mane Michael in philosophicis speculationibus vigilaret: ex inopinato strepitum velociter currentis equi, sed cursum sistentis ad januam domus audiret, vocemq; simul Marsilij clamantis: O Michael, o Michael, vera vera sunt illa. Quem & in equo candido mox properantem, & post frustraneas inclamationes suas evanescentem, de fenestra notare sibi visus est. Intellexit postea, defunctum Florentiae Marsilium ea ipsa hora, qua sibi equester apparuisset. Si vera haec sunt, tria videntur inprimis posse quæri: Primo, an perquirendæ de statu animæ post hanc vitam veritatis medium elegerint legitimum isti Platonici? Secundo, an justum fuerit iuramentum obligantium se ad aliquid præstandum post suam mortem, etiam sub conditione, si liceret? Tertio, an probabile sit, ipsam Marsilii animam fuisse, quæ Michaeli sic apparuerit? In his omnibus negativa nobis asserenda videtur.

T A N T U M.

Ad

Ornatissimum, & Politissimum Dn. Respondentem,

οὐ νοικον.

Nosse futurorum, quæ contingentia dicta,
Cum circumfusus eruis è tenebris,
Et claræ sistis luci, nova gloria Phoebi,
ELFFRINGI, doctorum omnia puncta meres.
Fibritus opto, fluant Tibi fata futura secunda,
Quæ sunt in DOMINI, nunc Tibi tecta, sinu.

Gratulatus perscribebat

Hieronymus Kromayerus, S. S. Tb. D.

Prof. P. Cathedralis ingenuæ Misnensis Canonici,

Al. Elect. Ephorus, Collegii Ducalis Collegiatus,

Acad. Decemvir.

Haud

HAud est multa dies, Cur Circumcisus Jesus,
Publicitus docto carmine tute dabas.
Officium Christiani hominis nunc differis, illô
Monstras, qvî rectè scire futura qveas;
Qualeq; judicium liceat formare decenter
De ancipiti eventu, qvem mala bella habeant.
Qvare Elffringe tibi de docto gratulor ausu,
Ex animo exoptans, ut bene cuncta geras.

M. Valentinus Friderici.

HAud potis est latitare diu cinere obrutus ignis,
Erumpit ligno deniqve flamma suo;
Igneus Elffring! ille animus, qvî gliscere coëpit
Huc usq;, assiduo flagret ut igne, precor.

*Sic Ornatiss. Dn. Respondenti conterraneo ac amico suo
singulari de laudabili conamine gratulabatur*

M. Iohannes VVestphalus, Hamburg.

F I N I S.

DD A 6358




sb.

1077

Reho ✓

518



כשם אלהים
DISPUTATIO ETHICA
De
OFFICIO HO-
MINIS
CIRCA
NOTITIAM FUTURORUM
CONTINGENTIUM,

Quam
Annuate Summo rectæ notitiæ Autore: Per-
missu Inclyti Senatus Philosophici in Almâ Philurea
SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi atq; Excellentissimi
DN. M. JACOBI THOMASII,
Orat. P. P. Celeberrimi, Facultat. Philos. Ad-
fessoris longè meritisimi, Collegii Min. Princ. Collegiati
& h. t. Præpositi gravissimi, Patroni, Promotoris, atq; Præ-
ceptoris omni filiali observantiæ, ac honoris cultu, &
obsequio ætatem prosequendi,

Placide Eruditorum disquisitioni submittit
NICOLAUS JOHANNES Elfring / Ritzbüttelio-
Hamburgensis-Saxo, Bonar. art. & Phil. Cultor.

A. d. 16. Jan. A. O. R. cId Idc LXIV.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
Literis Viduæ HENNINGI COTERI.